

DE FATO

1 * * * quia pertinet ad mores, quod ἠθoς illi vocant,
1 nos eam partem philosophiae de moribus appellare
solemus, sed decet augentem linguam Latinam nomi-
nare moralem; explicandaque vis est ratioque enun-
tiationum quae Graeci ἀξιώματα vocant; quae de re fu- 5
tura cum aliquid dicunt deque eo quod possit fieri
aut non possit, quam vim habeant, obscura quaestio
est quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant, totaque est
λογική quam rationem disserendi voco.

Quod autem in aliis libris feci qui sunt de natura 10
deorum itemque in iis quos de divinatione edidi, ut
in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo
facilius id a quoque probaretur quod cuique maxime
probabile videretur, id in hac disputatione de fato casus
2 quidam ne facerem inpedivit. nam cum essem in Pu- 15
teolano Hirtiusque noster consul designatus isdem in
locis, vir nobis amicissimus et his studiis in quibus
nos a pueritia viximus deditus, multum una eramus,
maxime nos quidem exquirentes ea consilia quae ad
pacem et ad concordiam civium pertinerent. cum enim 20
omnes post interitum Caesaris novarum perturbationum
causae quaeri viderentur iisque esse occurrendum pu-
tarem, omnis fere nostra in his deliberationibus con-